







DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**L V M B R I C I S**  
**TERRESTRIBVS**  
EORVMQVE VSV MEDICO,

QVAM  
ANNVENTE SVPREMO NVMINE,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO VIRO

**DN. CONRADO WILHELMO**  
**STRECKER, JCTO,**

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECT. MOGVNT. CONSILIAR. RE-  
GIMINIS, JVRID. FACVLTAT. ET JVD. ELECT. PROVINC. ASSESSOR. PROF.  
COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. SYNDIC. ET CONSVL. PRIMARIO,  
CONSENSV

**GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ**  
IN PER-ANTIQA HIERANA,  
SVB PRÆSIDIO

**DN. D. HERMANNO PAVLO JVCH,**

SACRI PALATHI CÆSAREI COMITIS, FACVLTAT. MED. SENIORIS, ET PATHOL.  
ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARIJ,  
SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARII  
AVLICI ET ARCHIATRI, N. N. ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS.  
COLLEGAE,

*PATRONI ET PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,*  
**PRO LICENTIA**

**SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA**  
**DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,**  
*PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT*

**FRIDER. ERDMANN WEINKNECHT,**  
*Boleslavia-Silesus.*

---

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGH MAJORIS, HORIS CONSUVETIS.  
DIE XXII. JUNII, ANNO M DCC XLII.

---

**ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad, Typogr.**





DISSERTATIO DE ...

1712  
L. V. M. D. R. I. O. I. S.  
F. O. R. M. O. S. T. I. C. O. S.

OMNIBUS ...

...



...

...

...

...

...

...

...







Q. D. B. V.

## PROOEMIUM.



Reaturarum omnium consideratio  
sicuti Physico jucunda, ita Medico  
utilis evadit. Astronomi inter  
physicos suo demonstrant exem-  
plo, observationes intuitu stella-  
rum non superficialiter institutas, sed omni ad-  
hibita attentione, diligentia, instrumentis &  
calculo in subsidium vocatis, innumera geni-  
ri humano parasse commoda, non obstante  
distantia, fere incredibili, terram inter & plane-  
tas cum aliis stellis intercedente, planetarum  
tamen cursus, oppositio, obscuratio, aliaque  
ad minutam secundam temporis, & quidem  
longo annorum intervallo, antequam contingit,  
mediante calculo exactissime determina-

A 2

tur.



tur. Si Medici pari ratione observationes suas continuassent atque reiterassent, procul dubio ad æquale perfectionis culmen pervenissent. Quæris quænam sint causæ, quare hoc non sit factum? responsionem facile tibi ipsi formare poteris, perpendendo impedimenta fere innumera, in addiscenda arte salutari occurrentia; unus enim, si a purgante aliquoties effectum salutarem obtinuit, statim inde concludit, utile illud esse ad omnium morborum curationem, signa hinc morborum negligit, in phænomena non inquiri, ad ætatem, sexum, temperamentum, aliaque non respicit, sed suo medicamento, sesquipedalibus verbis commendato, plura adscribit, quam quæ virtus intrinseca præstare potest. Alter libros nonnisi antiquos legit, & obscuritate verborum luxurians, si chymica sunt scripta, hieroglyphicis delectatur insomniis, quasi his tincturam universalem ad corpus humanum quam diutissime conservandum, omnesque morbos auferendos producere valeret; si vero galenica, hac vel illa planta Hydram Lernæam morborum unice occidere se posse jactitat. Veritas asserti corroboratur



exemplo herbæ Theæ, cui hic Betonicam, ille  
 Veronicam, iste Oreofelinum substituit, omni-  
 busque in casibus commendat, nullius vero  
 morbi essentiam evolvit. Tertius non nisi li-  
 bros recentissimos evolvens, uni tantummo-  
 do hypothefi agglutinus, omnem theoriam  
 atque praxin medicam ad hunc lapidem ly-  
 dium revocat & quæ eo non quadrant, protin-  
 us rejicit. De pluribus ejusmodi rebus, artis  
 medicæ incrementa impredientibus, lamenta-  
 tiones Medicorum innumeræ extant, & pecu-  
 liarem exposcunt tractationem. Nobis suffi-  
 ciat commendare cum BAGLIVO sollicitam in-  
 quisitionem in historiam, causas atque sympto-  
 mata morborum, utque singula ad eorum cu-  
 rationem impendantur. Hujus consilii intui-  
 tu periculum facere intendimus cum *Lumbri-  
 co terrestri*, quem Speciminis loco inaugura-  
 lis censuræ benevoli lectoris tradimus. Sum-  
 mus & unicus Creator etiam per hanc a mul-  
 tis pauci æstimatam creaturam, suam pronun-  
 ciare permittat gloriam.



## §. I.

Cum pleræque viventium denominationes ab accidenti quodam desumptæ deprehendantur non ridebimus eos, qui Lumbricum quasi lubricum a superficie corporis lubrica & a lubrico motu undulatorio atque spirali, ut & agilitate expedita, inter apprehendendum observabili, derivant. A lubricitate autem qui nomen hoc mutuatum esse statuunt, severam latinorum scriptorum censuram incurrunt, quod lubricitas sine exemplo classicorum dicatur. Neque etiam bellum indicere lubet MARTINIO, qui in *Lexico philolog.* a voce græca λῦμα *sordes*, & βετιζω, *pluo*, illud deducit, quod videlicet aqua pluvialis è nubibus decidua, causa exitat, quod hi vermes ex foridibus nati & immunditie e terra expurgarentur. Sicuti quoque non nostram facimus sententiam eorum, qui *Lumbricos* propterea ita denominatos fuisse asserunt, quoniam talia animalcula plerumque in lumbis hominum delitescerent.

## §. II.

Alio quoque nomine *Vermes pluviales, terrestres & terreni* vocantur; & quidem vermes a *vertendo*, contortionibus & convolutionibus, ut & a *verrendo*, sive tractione ad plagas & partes oppositas, nec non a *vere*, quod verno tempore ex latibulis prorepant, qui hyeme in terra absconditi delituere. In deliciis utique habent humidum, partibus salino-nitrosis refertum illudque instante pluvia hinc inde perforantes, tanquam optimum sistunt hygrometrum: Hinc LVCRETIVS 2.870. inquit: *Vermes terreni erumpentes, præfagia aëris faciunt*

¶



*Et tempestatem prædicunt.* Unde etiam Germani eos *Regenwürme, Erd- und Thaumwürme* vocant.

§. III.

Vox autem Lumbrici accipitur modo pro verme terram inhabitante; modo pro verme in intestinis tenuibus hominum degente, qui ratione figuræ teretis externæ, opponitur ascaridibus, cucurbitinis & tæniæ; modo pro homine qui ex imis sordibus ad summas dignitates evectus fuit, quare *PLAVTVS 4. 4. 1.* eosdem *terræ filios* vocat, vid. *CICERO famil. 7. 9.*

§. IV.

Intelligimus itaque per Lumbricum *vermem teretem, calami scriptorii crassitie, Et quinque vel sex digitorum longitudine præditum, levem, terræ incolam, pluviali tempore magis observabilem.*

§. V.

Generis loco posuimus vermem, quem animal perfectum pronunciare nulli dubitamus, & quidem ratione originis, quia diversus sexus, uti ex differente figura externa & interna, cornu nempe uteri, sive farciminali tuba, ovulis in foemellis turgida, in maribus vero ex spermaticis vasis, plane aliter constructis, ita etiam ex coitu à physicis observato, demonstrari potest.

§. VI.

Ratione conformationis viscerum & reliquarum partium, quarum anatomen *WILLISIVS* exhibet, & *REDI* deficientes superaddit, discimus, quod Lumbrici habeant os, cerebrum, cor, pulmonem, ventriculum, intestina, hepar, mesenterium, aliaque organa ad vitam necessaria; quodque experientia anatomica non docet, illud



illud sana ratione concludere licet: repunt, & organa ad huncce motum præstandum necessaria, fibræ annulares & longitudinales musculosæ, in oculos incurrunt; terra & limo pinguiori vescuntur, & hortulani teneriores recenterque terræ mandatas plantas mane extractas inque meandros lumbricorum introductas reperiunt, quod proboscide faciunt, nihil autem deglutire, concoquere, in succum nutritium convertere & scybala excernere possent, nisi œsophago, ventriculo, visceribus, intestinis, fibrisque muscularibus, ad horum omnium motum & actiones exercendas, instructi essent.

## §. VII.

Quid igitur de generatione æquivoca statuam? ex putrefactione vermes generari, vulgi est sententia, quam etiam nonnulli litteratorum fovent & ad *παλιγγενεσίαν* provocant; sed observatio Dn. D. GRASSII, *de Varis c. 13.* mihi non satisfacit, dum lumbricos terrestres cucurbitæ vitreæ, alembico tectæ, indidit, successu temporis in liquorem resolutos per filtrum trajecit, & in restitante limo lumbricos vivos observavit; non absolum autem est, statuere, ovula, quæ in corporibus lumbricorum ad hunc laborem adhibitorum, delituere, per motum atque calorem, a putrefactoria resolutione ortum, fuisse exclusa. Si æquivoca generatio fundata esset, partes tam externæ, quam internæ, non semper & in omnibus individuis eadem quantitate, numero atque forma concurrerent, & sic non mere Lumbrici, sed alius quoque generis vermes orientur, & sic quotidie novæ insectorum species mediante putrefactione producerentur, cum tamen unius ejusdemque



que generis copioso numero vermes coacervati deprehendantur. Quanquam etiam resuscitatio plantarum combustarum è suis cineribus, artificiali manu promotam, tantis difficultatibus non obnoxia sit, quantas circa productionem animalculorum viventium ex putrefactione observamus; contenti tamen sumus ejusmodi relationibus, certissime simul persuasi, quod, quia nostris temporibus omnia curiosa, physice atque chymice observata, cum orbe litterato communicantur, & indagatores atque perscrutatores naturæ nequaquam dormitare solent, plures utique legerentur observationes de hac materia, quam quas erudite *Francus* de *FRANKENAV* collegit *Programmate IV. Botanic.*

## §. VIII.

Figura oblonga atque rotunda Lumbricos ab aliis infectis atque vermibus distinguit, sive in terra vivant, sive in corpore humano reperiantur, an autem hi cum illis sint ejusdem generis, nondum satis constat. Probabile illud ad minimum est, ob convenientiam externæ & internæ figuræ, qua non differunt: Sanæ etiam rationi non repugnat, si cum cibo & potu, anguium, ranarum aliorumque insectorum ovula ingesta, & in corpore mediante calore naturali exclusa fuere, de quibus multæ profant observationes, quare non pari fato atque facilitate Lumbricorum seminia in corpus humanum introduci possent.

## §. IX.

De his vero humano corpori infectis hospitibus nobis jam sermo non est, etiamsi nonnulli Practicorum reperiantur, qui, superstitione nutriti, prima vice excre-

B

tum



tum a puero vermem pulverisatum tanquam specificum exhibent anthelminticum; de *terrestri* potius *Lumbrico*, post pluviam decidentem frequentius observabili, ad usus medicos impendendo solliciti, ut ejus collectionem, sive capturam, describamus, necessitas nunc postulat. Hortulani, & qui fimeta pro emendanda terra effodiunt atque transportant, vernali maxime tempore copiose eos reperiunt; in terra stercorearia atque recenter fimo pingui saturata, post pluviam, lucernæ ope, noctu colliguntur. Iisdem in locis baculus terræ intrusus, motuque tremulo agitatus, metum inimici præsentis talpæ lumbricis incutiens, ex cavernis suis eos expellit; ingrato lixivio ex sale communi, alumine, vitriolo, aut putaminibus juglandum viridibus cum aqua parato, atque in terram hinc inde profuso, interdum propelluntur, interdum vera fugam profundius rependo quaerunt, quem effectum etiam *Carduus benedictus* & *Pulegium montanum* præstant; minus gratum modum lumbricos è meandris proliciendi hortulani experiuntur, quando brassica cauliflora, fimbria capitata, crambæ, aut plantæ aliæ saporis dulcis, ad futurum horti ornamentum, adhuc teneræ transplantatæ fuerunt, prima statim nocte Lumbrici, nova odoris suavis specie incitati, prorepunt, omnesque plantulas extrahunt, cui malo autem physica scientia imbuti vegetabilium cultores facili negotio medelam ferunt, dum intersperso atque pulverisato fimo equino satisfaciunt appetitui egredientium Lumbricorum, ut neglecto plantarum odore, sapore fimi saturati revertantur, quos inter delicias eosdem captare non multum facit negotii.

§. X.



§. X.

Ad usum nunc medicum transitum facientes, Lumbricos eligimus mense Majo collectos, qui annulum flavescens circa collum habent, tanquam saniores & medicis usibus magis inservientes præ reliquis, impuris atque venenatis quasi corporibus præditis, siquidem talem delectum etiam Chirugi in Hirudinibus applicandis observant; conf. HEISTERI *Chirurg. Cap. 16.* & sicuti hi in aqua pura nocivas suas impuritates evomunt, ita etiam Lumbrici, musco quercino immixti, ad vomitum plurium excrementorum disponuntur, quod NEANDER in *Tabacologia p. 193.* docet. Quidam ulteriorem depurationem instituere suadent, eos lavando cum vino, capite & cauda abscissis, & intestinorum recrementa reliquosque intus contentos humores exprimendo; nos autem simplici adhærentis terræ remotione contenti, in vase amplo aquam affundere & cum scopis agitando terram separare atque postmodum eosdem blande exsiccare jubemus. Hoc insectum sale blando volatili gaudere edocemur tam ex variis præparationibus, quam ex usu atque virtute diuretica, diaphoretica, lactis generationem promovendi, obstructos nervos referandi, doloresque inde dependentes mitigandi, tandemque salia venenosa, morfu atque punctura animalium communicata, extinguendi.

§. XI.

Volatile hoc principium, quo magis integrum conservatur, eo efficaciorum virtutem exerit, quod simplici præparatione melius obtinetur, quam valida ignis tortura. Sic Lumbricorum circiter XII. cum vini cochlearibus

B 2

learibus



learibus. VI. in mortario contusi, per linteum expressi, & cum dimidio vini cantharo diluti, *Vinum lumbricatum simplex* constituunt, in vitiis ventriculi, tribus ante prandium horis, ad aliquot cochlearia sumendum.

§. XII.

Eadem contusio atque extractio cum lacte suscepta, phthisicis atque arthritide vaga scorbutica laborantibus, magnum adfert levamen, & successive causam morbi tollit, si tale lac jejuno ventriculo assumitur, & animi pathemata vehementiora simul evitantur.

§. XIII.

Non solum autem Lumbrici infunduntur, sed etiam modo cum aqua, modo cum sero lactis, modo cum aqua & vino decoquuntur, additis simul pro diverso scopo variis vegetabilibus. Si cum aqua decoctio suscipitur, additis rapis atque radice Liquiritiæ, athmaticorum anxietatem tollit, calide haustum: Cum sero lactis instituta, adjectis rad. Angelicæ, Levistici, Helenii & herba Hederæ terrestris, in sanguinis vitiis & peste ipsa laudatur. Cum lacte facta decoctio, additis rad. & semine Fœniculi floribusque Sambuci, frequenti assumptione nutricibus lactis copiosum proventum conciliat. Infantibus lac, prævia decoctione cum Lumbricis, rad. Dauci ac Filicis, luna decrefcente calide exhibitum, vermes necat & educit. Vinum cum radice Graminis, foliis Ebuli, floribus Chamomillæ & Iva moschata, additis Lumbricis, decoctum atque ad cochlearia aliquot assumtum, hydropicorum aquam educit, podagricorum dolores mitigat & in arthritide magnum adfert levamen.

§. XIV.



§. XIV.

Subtilissimum phlegma ex Lumbricis suppeditat destillatio in balneo mariæ, ad obstructiones viscerum atque glandularum maxime commendatum, egregium quoque traumaticum in internis viscerum læsionibus, phthisi, fluore albo mulierum, hydrope, scabie atque scorbuto, viscidos incidit atque attenuat humores, vasa capillaria obstructa aperit, secretiones promovet & sic successive partes, quæ destructionem atque corruptionem viscerum inducere valent, blande per varia organa excretoria è corpore eliminat, mixtionemque naturalem humorum restituit.

§. XV.

Spiritum urinosum obtinemus, quando Lumbrici loti in vas capax vitreum, ad quartam tantum partem repletum, includuntur, & clauso orificio in loco moderate calido reponuntur ut putrescant, sic enim fastiscunt in liquorem aurei coloris, cui exuvia innatant, subsidente simul terra nigra, qui rectificatus diureticam & diaphoreticam virtutem exerit insignem, interne ad drachmam semis assumtus, externe in arthriticis atque dolorosis affectibus, cum Spiritu formicarum, salis ammoniaci, Cornu Cervi, matricali aliisque mixtus, præsentissimum præstat auxilium. Altero modo retortam vitream ad dimidium reple lumbricis vivis, superadde cineres cribellatos fere usque ad collum & tunc ex igne arenæ spiritum successive propelle, qui ex cucurbita dein rectificandus est.

§. XVI.

Ex Lumbricis ablutis & exsiccatis, ex retorta, fur-

B 3

no



no reverberii imposita, grandi recipiente applicato, igne per gradus adhibito, *sal & oleum* volatilia, plurimo phlegmati commixta, eliciuntur, quorum rectificatio instituitur igne moderato, in balneo arenæ, cucurbita oblongo collo donata, alembico applicato, lutatis commissuris. Sale volatili prius sursum elevato, factaque rectificatione, reconditur itidem oleum separatum, cum reliquo sale volatili in portione quadam phlegmatis dissoluto. Sal volatile hoc omne acidum præternaturale in corpore humano extinguit, in partibus remotioribus & vasis capillaribus absorbet, corrigit, in sal medium mutat & per insensibilem transpirationem expellit, hancque ob rationem inflammationes resolvit & discutit, doloribus scorbuticorum medetur & podagricorum symptomata curat.

§. XVII.

Porro etiam in liquamen resolvi possunt Lumbrici, si debili spiritu vini affuso in cellam reponuntur per aliquot dies, & decantatum ex parte evaporatur. Residuo si parum salis fixi additur & ulterius leviter evaporatur, in remanentia, in locum frigidiorum seposita, sal nitrosum concreset. Breviori manu idem obtinebis liquamen, si vitrum apta forma rotunda, angusto orificio instructum, Lumbricis repletur, massa panaria involvitur, & in clibanum collocatur, eodem temporis spatio, quo panis crassior percoqui potest, sic in liquorem submucidum fatiscunt, qui filtratur, & interne ad drachmas duas pro dosi assumitur, in doloribus rheumaticis, arthriticis, podagricis peculiaris usus.

§. XVIII.



§. XVIII.

Extractum qui desiderat, Lumbricos exsiccatos & in pulverem redactos, affuso spiritu vini, leni digestionem tractat, post aliquot dies spiritum per inclinationem effundit, novum reaffundit & tinctum decantando separat, id quod in affectibus chronicis non negligendum est. Vid. *Corp. pharm. p. 403.*

§. XIX.

Essentia ex Lumbricis extrahitur partibus IV. eorum addendo salis tartari p. II. super affundendo Spiritus vini rectificati part. VI. post digestionem per 4. aut plures dies productam, clarum decantatum iterum aliis recentibus Lumbricis affundendo, illudque digestionem relinquendo, quod decantatum dein supra recensitis usibus impenditur, de quo simul MOELLENBROCCIUS *de Arthrit. vag. p. 244.* legi potest.

§. XX.

Oleum Lumbricorum per infusionem paratum superat virtute destillatum. Recipitur oleum Olivarum, cui Lumbrici mundati injiciuntur, lenique calore virtus extrahitur, post aliquot dies decantatur & in contusionibus, suggillationibus, conquassationibus, tendinum & nervorum puncturis atque læsionibus, vulneribus articularum, per se, vel cum oleo Momordicæ mixtum, a Practicis optimis commendatur.

§. XXI.

Pulvis frequentissimi usus est in praxi. Lumbrici probe mundificati, tabulæ lapideæ, vel vitreæ singuli seorsim imponuntur & in suprema domus contignatione, aëre æstu solis calidissimo existente, in umbra siccantur,



cantur, aut radiis solaribus brevi exponuntur, sicci dis-  
 cinduntur & pulverisantur, & mane vel per se exhi-  
 bentur, vel ad nauseosum odorem & saporem corrigen-  
 dum, appropriatis suaveolentibus miscentur. Vasa ob-  
 structa hepatis, lienis, uteri, glandularum mammariarum  
 & meseraicarum pulvis hic aperit, sanguinem depurat,  
 nervorum affectus, spasmos atque convulsiones, imo E-  
 pilepsiam ipsam curat & in pluribus aliis fonticis morbis  
 a magni nominis atque famæ Practicis, HOFFMANNO,  
 WEDELIO atque STAHLIO haud parum æstimatur.

§. XXII.

Usum Lumbricorum in omnibus corporis regio-  
 nibus, ut & in præcipuis morbis, a Medicis probatis-  
 simis expertum, in scriptis eruditorum versatissimus  
 PAVLLINI ostendit in Schediasmate de *Lumbrico terre-  
 stri*, & quæ Illustris STAHLIUS in Dissertatione de ea-  
 dem materia solidissimo fundamento superstruētis the-  
 sibus profert, lectu omnino digna sunt. Paucis  
 itaque his dictis nunc imponatur

F I N I S.





00 A 6326 (1)

VD 18


ULB Halle

3


004 103 416











B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**L V M B R I C I S**  
**TERRESTRIBVS**  
EORVMQVE VSV MEDICO,

QVAM  
ANNVENTE SVPREMO NVMINE,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO VIRO  
**DN. CONRADO WILHELMO**  
**STRECKER, JCTO,**

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECT. MOGVNT. CONSILIAR. RE-  
GIMINIS, JVRID. FACVLTAT. ET JVD. ELECT. PROVINC. ASSESSOR. PROF.  
COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. SYNDIC. ET CONSVL. PRIMARIO,  
CONSENSV

**GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ**  
IN PER-ANTIQVA HIERANA,  
SVB PRÆSIDIO

**DN. D. HERMANNO PAVLO JVCH,**  
SACRI PALATII CÆSAREI COMITIS, FACVLTAT. MED. SENIORIS, ET PATHOL.  
ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARIJ,  
SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARIJ  
AVLICI ET ARCHIATRI, N. N. ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS.  
COLLEGÆ,

**PATRONI ET PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,**  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

**FRIDER. ERDMANN WEINKNECHT,**  
*Boleslavia-Silesiar.*

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.  
DIE XXII. JUNII, ANNO M DCC XLII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad, Typogr.

